

Neues Archiv

der

Gesellschaft für ältere deutsche Geschichtskunde

zur

Beförderung einer Gesamtausgabe der Quellenschriften
deutscher Geschichten des Mittelalters.



Elfter Band.

Hannover.

Hahn'sche Buchhandlung.

1886.

XVII.

V i t a E c k e b e r t i.

Mitgetheilt

von

Rektor **Dr. Widmann** zu Oberlahnstein.

Ueber Ekebert, den Bruder der heil. Elisabeth von Schönauf, wusste man früher nur das, was er selbst im Prolog zu den Visionen seiner Schwester über sich angiebt und was der Abt Trithemius zu erzählen wusste. Da glückte es uns, in der Papierhandschrift Nr. 4 saec. XV. der Kgl. Landesbibliothek zu Wiesbaden eine Lebensbeschreibung des Redactors der Revelationen aufzufinden. Nach Ekeberts Abhandlung 'ad cognatas suas' folgt ein Register, alsdann beginnt direkt die Vita mit den Worten: 'Opusculum istud de disputatione contra Iudeos de matre et filio' etc. Dies Werkchen, welches Fragment blieb, stand ohne Zweifel in dem Original der vorliegenden Handschrift. Darauf weist 'op. istud'.

Der Verfasser der Vita lies unmittelbar danach seine Lobrede folgen, denn viel mehr als eine solche oder eine zur Erbauung der Leser bestimmte Legende ist die Lebensbeschreibung kaum. Trotzdem ist sie nicht zu verachten, weil sie das bisher Bekannte vervollständigt und — wie ein Vergleich beweist — offenbar Quelle zu Trithems Mittheilung über Ekebert war. Vgl. den Catal. ill. vir. 137. Mon. Hirsaug. Chronica p. 148 f. zu 1163 und die beiden Schriften 'de illustribus viris ordinis sancti Benedicti', Wiesb. Hdschr. Nr. 33, XV. saec. fol. 33, und 'Sancti qui sub regula b. Benedicti militaverunt', Wiesb. Hdschr. Nr. 31, XV. saec., fol. 30'. Beide zuletzt genannten Handschriften sind leider ganz verbunden durch einen ungeschickten modernen Buchbinder. Was über Ekebert festzustellen war, siehe in unserer Abhandlung 'Nassauische Chronisten des Mittelalters' (Programm des Kgl. Gymn. zu Wiesbaden 1882).

Der Verfasser der Vita ist ohne Zweifel unter den jüngeren Ordensbrüdern Ekeberts zu suchen. Dazu berechtigen die Andeutungen in der Vita selbst. Wer die von dem Nachfolger Ekeberts, dem Abte Emecho von Schönauf, verfassten Lobpreisungen auf Elisabeth liest, der kann sich des Gedankens nicht erwehren, dass dieser Mann, welcher von Trithem wohl nach Klostertradition als 'Ekeberti quondam auditor et di-

scipulus'¹ bezeichnet wird, auch der Lobredner seines Lehrers und Vorgängers ist. Der Stil ist im allgemeinen der gleiche in der Vita wie im Lobgesang auf Elisabeth und stimmt sogar in einzelnen Wendungen und in einigen Lieblingsausdrücken überein.

Opusculum istud de disputatione contra Iudeos de matre et filio etc. non perfecit auctor ipsius operis, quia heu morte preventus est et non reliquit sui similem in hac vita, qui conclusionem aptam huic operi posset invenire. Huius excessum multi et praecipue illi, qui digni fuerunt eius magisterio erudiri et eius beate presencie feliciter interesse, deflent. Revera vir iste beatus digne in memoria vertitur hominum qui ad gaudium transiit angelorum, quia in hac peregrinatione solo corpore constitutus, cogitatione et aviditate et tota animi intentione in illa eterna patria conversatus est; Spiritus enim sancti gratia hunc ab infancia capaci intelligencia erudit, ut omnium librorum tam divinatorum quam secularium scientiam ei pre multis suis coetaneis donaret. Que licet, sicut scriptum est²: 'Scientia inflat', multos ad interitum trahat, tamen hunc memorabilem virum nunquam in aliquam huius seculi vanitatem per illicita desideria potuit demergere.

Non enim ambulavit aliquando in vanitate nec festinavit in dolo pes eius, cuius cor nunquam huius seculi perversitas a rectitudine laudabilis vite potuit avertere, nunquam mentem eius vane glorie cupiditas pulsavit. In illa vita in qua primum conversatus est, videlicet in clericatu, innocentiam suam Domino se protegente puram et immaculatam custodivit et multos suos³ preclaris moribus informavit, lascivientatem (!) quam alii amabant declinans, ingentem animi constanciam cunctis demonstrans, ita ut multi eum non solum vicini, verum etiam remoti ferventer amarent et eius faciem videre desiderarent.

Huius erat soror illa venerabilis et famosa virgo Elisabet, quam divina pietas ad multorum edificationem in Sconaugiensi cenobio dignatus (!) est visitare.

His autem primum cum ipsa fieri incipientibus, nuncium post ipsum cum voluntate domini abbatis et totius conventus direxit, quia adhuc in clericali habitu apud ecclesiam Bunnensem erat, ipsique cuncta, que circa ipsam gesta sunt, per ordinem replicavit, quia hunc pre ceteris suis familiaribus singulari dilectione sibi artius astrinxerat. Qui universa magnalia,

1) Ein Abtskatalog in einem Copiar des Klosters aus vorigem Jahr. sagt von ihm: 'Emicho quasi poeta laureatus testantibus id eius scriptis vixit anno 1190, obiit 1207'. Was über die Zahlen zu urtheilen, s. Nass. Chron. S. 10. 2) I. Cor. 8, 1. 2) Lies 'suis'. W.

que dominus noster cum ipsa operatus est, diligenter perscrutans, ea que fidelium utilitati congruere videbat, conscripsit, ea vero, que legentibus non prodesse sciebat, omnino reticuit.

Dum vero sepius ad eam visitandi gratia veniret, frequenter hortabatur eum ad sacrum ordinem sacerdotii ascendere, quia adhuc in diaconatus officio erat. Ipse vero diversas causas timoris sui pretendens, tam arduam rem aggredi nondum audere fatebatur. Que die quadam inter missarum solemniam cum suo more archana secretorum Domini per spiritum contemplaretur, fecit mentionem de eo coram domina nostra sancta Maria quam sepiissime videre consueverat. Que respondit ei sicut in libro¹ visionum eius invenitur: Dic servo meo: 'Noli timere, fac quod facturus es et redde rationem de servitio meo quod mihi facere debueras et non fecisti'. Eo tempore cum hec agerentur, Romam causa peregrinationis adire disposuit et ibi apud dominum apostolicum hunc sacrum ordinem aggredi temptavit, quod et factum est. Nam sociis secum assumptis, qui et ipsi eandem peregrinationem adierunt, Romam venit: domino apostolico causam itineris patefecit et eius voluntate huius sacri ordinis dignitatem honestissime suscepit.

Regebat tunc Romanam ecclesiam Adrianus papa et Treverensem Hillinus archiepiscopus, et erat in anno quo Fredericus rex cum exercitu Romam ingressus ab eodem papa consecratus est imperator².

Interim vero cum Rome moraretur, predicta soror eius Elisabeth quadam nocte gravissima infirmitate laborabat, et vidit in visione eundem fratrem suum cum clava stantem et magnum conflictum cum diabolo habentem, qui vehementi impetu innumerabiles sagittas iniecit in eum. Ille vero contra viriliter resistebat, quod omnino ab eis ledi non potuit; ad ultimum vero iniecit in eum igneas sagittas preacutas, e quibus unam totis viribus iniecit in eum, que paululum adhesit corpori eius, cuius invasione, ut ei videbatur, debilitatus est, usque ad genua laberetur, sed tamen renisis luctamine vehementi iterum restitit; ad ultimum visum est ei, quod quidam venerandus vir venit, quem intellexit esse venerabilem abbatem patrem nostri monastici ordinis, sanctum Benedictum, afferens (sic!) ei monachi cucullam et baculum pastoralem, et dicebat ei: 'In hoc vince'. Sicque confortatus omnem illam maligni hostis infestationem superavit. Post pascha³ reversus a Roma cum divina misteria apud sorores in festo ascensionis Domini⁴ celebraret, post lectionem evangelii cum staret in oratorio eadem soror eius cum ceteris sororibus ad orationem, venit vox de celo ipsa sola audiente cum terrore vehementi,

1) Im ersten Buch, doch ist nicht der Bruder bezeichnet. 2) 18. Juni 1155. 3) Ostern war 1155 am 27. März. 4) 1155 am 5. Mai.

que vox tercio sic elocuta: 'Veni, veni, veni, et suscipiet te dextera mea'. Postea in festo penthecostes¹ ipsa eadem soror eius vidit in visione arborem pulcherrimam secus maius altare fratrum diversis floribus ornata et copiosis fructibus dilatata, ad cuius aspectum valde delectabatur. Que cum angelum Domini, qui ei astabat, interrogaret, quam significationem hec arbor, quam viderat, haberet, dixit ei: 'Fratrem tuum hec arbor significat; diversi flores et maturi fructus et viriditas foliorum eius sunt diverse virtutes eius et sana doctrina, qua multos fideliter erudiet; hortare eum, ut seculo abrenunciet, quia eum Dominus in suum familiare ministerium ad multorum edificationem elegit'. Que cum timeret tale aliquid ei referre, quia sciebat eum ab infanzia delicate educatum, distulit aliquamdiu ei hanc revelationem intimare. Non post longum tempus angelus Domini severo aspectu eam intuens dixit: 'Quare non hortaris fratrem tuum, pro quo devotissimas orationes ad Dominum effudis (!), ut abrenunciet seculo'? Cui illa respondit: 'Timeo, Domine, ne rigorem regule nostre in ieiuniis et vigiliis et in abstinenciis possit sustinere'. Et ille respondit: 'Noli timere, quia ego in his omnibus eius ero promptus adiutor'. Ipsa uno² in hoc verbo confortata, cum ei de hac re mentionem faceret, vidit in spiritu angelum Domini prope eum assistentem et exhortantem eum ad hanc ipsam abrenunciationem. Qui statim per voluntatem Domini sermonibus eius acquiescens adeo constantem assensum prebuit, ut non semel postea ad deliberationem se converteret, quid potius foret eligendum, scilicet utrum in clero permaneret vel potius monastice professionis novitatem arriperet. Reversus itaque Bunnam, ut de rebus suis ordinaret, familiaribus suis, quos sincero semper affectu dilexerat, secretum propositi sui detexit. Quo cognito et admirantes tanti viri subitam mutationem, considerantes, qualis in clero fuisset et esse posset, ignorantes vero et timentes, qualis in monastica vita futurus esset, suadere ei ceperunt, ut in via certa et bona, quam ingressus fuisset et quam novisset, securus curreret et ignotum vivendi genus non attemptaret. Ipse vero constanter in suo proposito perseverans, nulla ratione se ab hac intencione avelli posse respondit. Quibus auditis considerantes etiam verbum a Domino exisse, nichil ultra adicere temptaverunt. Et ipse omnia, que huic erant mutacioni congrua, acceleravit et cum multa hilaritate conversacionem et habitum priorem abiciens nove vite austeritatem ingredi non pertimuit. In predicto igitur monasterio Sconaugie professionem fecit sub abbate sancte conversacionis domino Hildelino, sub cuius etiam provisione et regimine sanctimoniales erant, inter quas predicta virgo sancta Elisabeth, soror eiusdem beati viri, Domino famulabatur.

1) 15. Mai. 2) Lies 'vero'. W.

Tam vigilantī itaque studio, quod aggressus fuerat, amplecti cepit, ut omnes eum, tam dominus abbas quam etiam ceteri fratres et sorores, miro affectu venerarentur. In scripturis sanctis, quas semper amabat, iugi meditationem¹ invigilabat, orationi ferventer instabat, quas pro summis deliciis amabat, assiduis lectionibus cunctos edificabat. Unde factum est, ut fumus optimi odoris ab ipso undique procederet, dum specialem gratiam quam a Domino in clara scientia acceperat, omnibus ad se venientibus infatigabiliter est inpertitus, divini verbi pabulo eos pie reficiens, et consolacione benigna cunctos confortans, ex eo quod de ipso neque profunda neque alta sapere nec alta perscrutari valebant, ad dilectionem ipsius et pie matris eius mirifice accendit, sicut optime in sermonibus ipsius et in libellis, quos de ipso domino Iesu et ipsius pia matre edidit, evidenter perspicī potest. Cuius cor non accendatur ad dominum Iesum in dulcedine verborum illius libelli qui intutatur² 'Stimulus dilectionis'? Quem illa eius melliflua verba, que ad ipsum Dominum de sua sacra humanitate nec non de ipsius beata passione et resurrectione in ipso libello protulit, ad lacrimas non emolliatur³? Ignitam cordis eius dilectionem ad ipsum dominum Iesum quis non admiretur, in verbis illius in quibus ad ipsum ardentissimo desiderio proclamavit in alio libello sic dicendo 'Verbum inest ad te, o rex seculorum Christe Iesu'⁴? Sed et elegantiam sermonum eius de ipsius pia matre qui legit, non excitet⁵ ad diligendum eam, de evangelio videlicet Luce 'Missus est Gabriel angelus', et de cantico 'Magnificat', quod ipsa in Spiritu sancto pronunciavit? Sed et alia plura et innumerabilia que de ipso et de ipsa ad laudem et gloriam eorum ad multorum edificacionem conscripsit quis dinumeret, in quibus suum intimum affectum, quem ad ipsum et ad ipsam habuit, omnibus in palam protulit et multos post se ad sui imitacionem traxit? In omnibus his Pauli verbis poterat dicere vir iste per omnia laudabilis; 'Imitatores mei estote, sicut et ego Christi'. Re etenim vera notum est omnibus qui eum noverant, multos post se et sermonibus et piis moribus fideliter traxisse, dum laudabilem vitam in ipso cernebant, in qua usque ad terminum vite sue ipsi Domino, quem toto corde diligebat, sine querela famulabatur. Cum autem appropinquaret tempus, quo predictus abbas dominus Hildelinus iam se ab hac vita speraret cito decedere, rogabat sepius iam dictam virginem sanctam Elisabet, ut a Domino impetraret, ut ostenderet ei, qualem mercedem pro laboribus suis esset consecuturus a Domino. Que cum

1) Lies 'meditatione'. W. 2) Wohl 'intitulatur' zu lesen. 3) Lies 'emolliant'. W. 4) Die sonst als 'Meditationes' bezeichnete Schrift. Die denselben angehängte Dichtung mag der 'Stimulus amoris' sein. 5) Lies 'excitetur'.

non post multos dies in festo ascensionis Domini inter missarum sollempnia in extasim venisset et super hac re Dominum deprecaretur, angelus Domini transtulit eam et collocavit ei sedem preclarissimam inestimabiliter ornatam. Dixitque ad eam angelus Domini: 'Hec est sedes quam pro meritis suis magister tuus promeruit et cito mercedem hanc pro suis laboribus recipiet'. Alteram quoque sedem prope illam non tam splendidam ostendit ei, de qua dixit: 'Hec est sedes fratris tui, quam promerebitur a Domino, et dicito ei, quia quo plus laboraverit, eo splendidius eam possidebit'. Non post longum tempus abbas ab hac vita decessit, et omni consensu Domino volente ipse in locum eius successit. Sed hunc honoris apicem magis proponere¹ quam pro aliquo temporalis vite commodo suscepit, quippe qui maioris cuiusdam ecclesie dignitatem, ad cuius curam ab archiepiscopo Coloniense et episcopo Traiectense accersiebatur, refutavit. Ipsius namque iam dicte ecclesie in Traiectensi diocesi constitute priores eum sibi in patrem spiritualem elegerant. Sed ipse talem honorem pro Domino respuens, paupertatem, in qua fuerat conversatus, magis amplectabatur. Suscepto itaque regimine Sconaugiensis cenobii cuncta provide et prudenter secundum datam sibi a Domino gratiam disponebat, ita ut nichil eorum que intrinsecus agenda erant circa religionem et cultum Dei negligeret, et nichilominus exteriora non tantum provide conservaret, sed etiam ad augmentum extenderet. Ab his igitur etiam, qui foris erant, diligere quam plurimum et honorari meruit, quoniam in sacrarum scripturarum scientia eum pollere videbant et quod hanc moribus et vite sanctitate adornaret. Accidit itaque frequenter, ut ad negocia ecclesiastica, ubi de sacris scripturis erat conferendum, invitaretur. Unde factum est, ut vice quadam Magonciam venire rogaretur propter examinandum quosdam, qui de Katarorum heresi erant. Cum enim Pinguam obsessa quedam a demone femina adducta fuisset, ut ibi a Domino curaretur per preces domine Hildegardis apud Sanctum Rupertum, demon non sua, sed Domini voluntate ductus Kataros quosdam numero circiter quadraginta Magoncie habitantes prodidit, et ubi habitarent et ubi mortuos suos sepelissent, occulte edixit. Cum igitur indicia omnia, que predixerat, vera fuissent inventa, et illi de fide sua interrogarentur, tam caute tergiversando responderunt, ut hereticos eos esse deprehendi non posset, quo usque idem Ekebertus abbas advocatus ad subterfugia consueta eos declinare non passus, errorem eorum et heresim manifestavit. Multa etenim de secta eorum noverat, quoniam, dum adhuc Bunne maneret, quidam de hac heresi familiares se ei fecerant, sperantes in

1) Wohl zu lesen 'pro onere' oder 'pro pondere'.

sectam suam se eum abducere posse. Ab his itaque frequenter ad eum venientibus multa de eorum erroribus cognovit, unde et librum postea contra heresim hanc edidit insignum (!) rationibus quibus errores Katarorum confutavit evidentissime. Manifestati itaque et convicti per ipsum et deprehensi in erroribus suis, qui erant Magoncie, eiecti sunt de civitate universi, uno excepto qui heresiarcha inter eos fuerat et magister annis pluribus, qui errorem suum detestatus ad fidem catholicam rediit, Deo gratias agens de anime sue a morte liberatione. In diebus illis cum eius vita laudabilis celebris ab omnibus haberi cepisset et iam virtutum eius insignia ubique nota fierent, dominus noster, quem toto corde desiderabat, quasi nolens eum ultra in huius seculi erumpnis fatigari, de eius laborioso certamine eum feliciter eduxit. Ante biennium vero cum de hac vita esset transiturus, audite sunt voces in cenobio prefato a fratribus et sororibus, per quas poterant futuram eius mortem pernoscere. Anno quoque isto, quo finivit istam vitam, in festo palmarum¹, cum se ante crucem dominicam, sicut moris est, prosternere deberet, ipsa sancta crux non aliquo vento neque aliquo impulsu mota ante ipsum in faciem cecidit, unde nimis ipse et nos exterriti sumus, admirantes quid ista portenderent. Alia quoque plura prodigia nobis sunt ostensa: per que potuissemus advertere magnam nostri loci desolationem. Sed non sperabamus aliquid tale eventurum, quia adhuc in etate satis matura beatam vitam ducebat, sed heu, quasi raperetur a nobis, ita insperate ablata est amabilis facies eius a nobis, et sana doctrina, qua multorum corda confortaverat, obscurata est et quasi ad nichilum redacta. Cum enim libellum quendam contra Iudeos de domino Iesu et eius pia matre edidisset et iam in finem conclusionem aptare deberet, antequam perficeret ipsum opus, quasi subito elapsa est a nobis margarita nostra, decidit vultus eius quasi lilium, quod, cum florem suum emiseric, cito marcescit, et dolorem omnibus nobis intollerabilem de suo excessu reliquit. Quis enim se a dolore continere posset, cum talem virum, cui quasi columpne firme et stabili innitebatur ecclesia nostra, infelix mors nobis violenter abstulit (sic!)? O odiosa mors, quantum nos tua infelix calamitas de huius beati viri transitu perturbavit. Sed nostra infelix calamitas, eius ut ita dicam felix felicitas fuit, quia de huius mundi turbinibus eductus, stola immortalitatis et iocunditatis est indutus. Pro paupertate, quam amabat, divicias glorie consecutus in eterna gloria quiescit in pace, cum his qui reliquerunt omnia et secuti sunt Dominum.

1) Am 25. März, wenn wir mit Widmann in dem angef. Programm S. 9, 1184 als das Todesjahr annehmen. Der Todestag ist der 28. März. W.

Possū dicere de eo, sicut de quodam beato viro legitur, Ekebertus hic pauper et modicus celum dives ingreditur. Et nunc anima beata, anima a Domino electa, choris celestibus iuncta, exulta in domino Iesu, quem toto corde, tota virtute dilexisti. Iocundare nunc in laude eius, quem, dum in corpore manebas, laudare usque ad finem vite tue non cessabas, fructa¹ nunc illi in iubilum dulcem ad quem totis viribus suspirasti et ex intimo corde gemitus ad ipsum emisisti. Et nunc plena quia cordis leticia frueris in aspectu pulchritudinis eius, pater venerande, pater amande, ne obliviscaris filiorum tuorum et filiarum tuarum, quas in erumpnis huius seculi nosti laborare, ut pater ille sempiternus, qui tibi preparavit sedem in celestibus, nos quoque ad sua pascua perducere dignetur, ut letemur et nos tecum in celesti gloria: per infinita secula seculorum Amen.

Non erit equalis, tibi non Sconaugia talis:
Flos erat egregius, requiescat spiritus eius.

1) Lies 'eructa . . . iubilum'. W.